DISSERTATIO SOLEMNIS MEDICA DE NONNVLLIS AD FEBRIVM RHEVMATICARVM SOLVTIONEM PERTINENTIBVS,

QVAM

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

MED. ET PHILOS. DOCT. MED. THEOR. ANAT. BOTAN. ET PHARMAC. PROF. PVBL. ORD. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECT. MOG. ERFVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIET. DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

LEGITIME CAPESSVRVS

D. XVIII. APRILIS CIƆIƆCCLXXII.

PVBLICE DEFENDET

CAROLVS FRIDERICVS FINCKE

WELSIKENDORFIO - MESOMARCHICVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI,

ACAD. REG. TYP.



§. I.

DISPVTANDORVM RATIO.

Leuidenſe nunc vobis offero munuſculum, lecto-res optimi, qui modo locupletius vobisque dignius meditabar donum. Sed effecit ipſius huius argumenti, ad quod ſcribendum in prae-ſentia appuli animum, amplitudo, multiplexque earum fe-brium, quas rheumaticas medici dicunt, facies, qua nunc per aliquot iam annos in omnes fere ſingulosque homines populariter quaſi irruunt, et in publicam paene omnium abeunt querimoniam, vt anguſtioribus terminis oratio-nem circumſcriberem meam, et ad ſolam dictarum febri-um ſolutionem, ſalutarem modo, modo funeſtam, ani-

mum intenderem. Quamquam vero intelligo, in tam concifa breuitate paene magis neceffaria effe praetereunda, quam fuperuacua amplectenda: nequeo tamen temperare calamo, quin, quae ad harum febrium hiftoriam cauffasque nofcendas pertinent, quoad eius rei breuiffime facere potero, fignem ftilo. Dehinc autem cum ad folutionum, his febribus familiarium, aeftimationem peruenero, fincera fide ea expofiturus fum obferuata clinica, quae mihi partim ex PRAESIDIS OPTIMI, partim ex meis animaduerfionibus conftiterunt: therapeuticam huius argumenti particulam praetermiffurus, quippe a praefenti meo propofito alienam.

§. II.

FEBRIVM RHEVMATICARVM NOTIO.

Quod fi quis autem, quis qualisue morbus *febris rheumaticae* nomine comprehendatur, quaerat, eundem antea de definita rheumatifmi notione, quippe vnde hoc febrium genus cognomen detraxit, certum effe oportet. Cum enim graeco ex fonte detortum *a*) fit nomen, facile hinc apparet, nec ipfis antiquioribus medicinae antiftibus hoc morbi genus fuiffe ignotum. In eo autem paene omnes confentiunt, quod *rheumatifmus* in dolente partium mufculofarum fpafmo, ex internis cauffis oriundo, confiftat. Hoc enim molefto morbo adfectos dicimus, quoscunque laffitudo atque grauitas totius corporis velut deprimit, quibusque fubinde horripilationes et phlogofes

a) Defcendit a ῥέω, fluo; vnde etiam Graeci dicuut, ῥευματίζεσθαι, acris humoris defluxu vexari. GALEN. in *Introduct.*

goſes alterne recurrentes cum imminuto plerumque ciborum appetitu turbatoque ſomno ſuperueniunt; qui ſigillatim vero in hac illaue corporis parte, praecipue in artubus, non quidem circa articulos, ſed in ipſa portione muſculoſa, dolorem ſentiunt lancinantem, pungentem, carbonum igneſcentium inſtar vrentem, interdum ponderis inſtar adfecto loco incumbentem, mox vage hinc inde errantem, mox diutius eadem in parte perſiſtentem. Inter haec correptum membrum ſumma laborat grauitate, vt et ſaepius perfecte rigidum videatur, aut ſaltem difficillime moueri poſſit, et ſub ipſo inſultu omnem externum calorem, quid? quod ipſam tenuiſſimam leuiſſimamque lodiculam aegerrime ferat. Haud raro etiam remittente dolore laeſa pars leuiter intumeſcit. Atque hic moleſtiſſimus morbus *aut* ſine febre conſpicua accedit, *aut* cum febre quadam, diuerſi ſaepe numero generis diuerſique typi, coniunctus animaduertitur. Hunc ergo adfectum ex qualicunque febre et rheumatiſmo compoſitum, *febrem rheumaticam* medici appellant *b*).

§. III.

EARVNDEM DIVISIO.

Simplicem iſtum et plerumque chronicum rheumatiſmum, quippe ab inſtituto noſtro alienum, nunc non amplius exponemus. Rheumaticarum autem febrium varia omni-

b) In hiſtoriam huius nominis ſubtiliter et docte inquirit MICHAEL SARCONE in *der Geſchichte der Krankheiten, die im Iahr 1764. zu Neapel ſind beobachtet worden*; I. Theil. §. 87. ſeq.

omnino genera paſſim obſeruarunt medici, pro materiae rheumaticae copia, indole, aut agendi vi admodum diuerſa: de quibus omnibus in hoc tam arctati opuſculi tranſcurſu nunc ſumus acturi. *Primo* igitur quaedam harum febrium, medicorum obſeruationibus cognitarum, conſtantem ſuorum phaenomenorum ordinem ſeruarunt; quas *typicas* ſiue regulares commodiſſime dixeris: *tum* vero aliae ab hac phaenomenorum conſtantia exquiſitoque ordine receſſerunt, *atypicae* ſiue irregulares ideo appellandae. Ex typicis aliae fuerunt *continuae remittentes*: aliae vero perfecte *intermittentes.* Poſteriores hae typum potiſſimum *tertianae* febris obſeruanti medico obtulerunt. Priorum vero duo imprimis ſollemnia eſſe ſolent genera: alterum, quod cum diatheſi ſanguinis phlogiſtica aut iam perfecta cuiusdam partis inflammatione coniungitur, ideoque a medicis *febris rheumatica inflammatoria* dici ſolet: alterum vero, cui *febris rheumaticae catarrhalis* nomen eſt, ex varia ſeri lymphaeque impuritate oriundum. Si vero *atypicas febres rheumaticas*, quarum ex aliquot iam annis magna inter homines fuit frequentia, conſiderate ſpectemus, facillimum eſt cognitu, varias hic eſſe febrium intermittentium, continuarum, et haud raro continentium complicationes, pleraſque vero putridae aut malignae naturae ſuſpicione non carere.

§. IV.

FEBRES RHEVMATICAE INTERMITTENTES.

Febrium intermittentium rheumaticarum hiſtoriae paſſim apud obſeruationum medicarum ſcriptores exſtant *c*); quarum

a) Huius generis videntur fuiſſe febres tertianae arthriticae; de qui-

quarum tamen magna pars a legitimo intermittentium typo fubinde receffit. Interim harum pleraeque, vti iam ante diximus, tertianae periodum funt fectatae; pauciores fuerunt quotidianae, infrequentiffimae omnium quartanae. Ex hoc febrium genere, quod intermittentis nomen mereretur, octo quidem priores praefentis decennii anni paucas obtulerunt febres; quippe pleraeque ex reliquis rheumaticarum febrium fuerunt claffibus: nuperi vero bini anni haud adeo infrequentia huius generis exempla paffim medicis clinicis exhibuerunt, et etiamnunc exhibent. Ipfum optimum PRAESIDEM noftrum anno CIƆIƆCCLXX, ineunte menfe Aprili, huiusmodi rheumatica intermittens febris tam atroci impetu corripuit, vt et plures de ipfius vita defperarent. Quae febris cum ceteroqui tertianae typum exquifitiffime fequeretur, et non folum in acceffionibus fuis, verum etiam in vario criticarum folutionum apparatu naturalem ordinem magnopere feruaret: placuit huius morbi hiftoriam concinne hic recenfere, vt fpecimen exhibeat verae et regularis febris intermittentis rheumaticae. Intereft autem lectorum, fcire antea, PRAESIDEM iam a primis aetatis annis frequentiori infultu rheumatico effe vexatum, et ex connata quadam corporis conditione, (fi quidem connati mali quidquam concedent medici,) in fingularem vnius lateris, nimirum dextri, fudorem admodum effe procliuem *d*).

§. V.

bus expofuit IOANNES CHRISTOPHORVS BAVTZMANNVS in *Act. Acad. Nat. Cur. Dec. II. Ann. VIII. Obferu. XLVI.*

d) Conf. *Eiusd. Differt. inaugural. de sudore vnius lateris,* Halae 1751.

§. V.

SINGVLARE HVIVS GENERIS EXEMPLVM.

Anni CIↃIↃCCLXIX finem ſubſequentisque anni priores menſes hiems notauerat mirificis tempeſtatis viciſſitudinibus diſtincta, mox verno fere calore incaleſcens, mox iterum acri frigore iterum exacerbata, potiori tamen parte pluuioſa et nebuloſa. Nec aliud veris fuit initium, eademque tempeſtatis perſtitit inconſtantia. Tota paene hieme terrae incubuit Lips aut Africus, rariſſime et per paucas ſaepe horas Vulturnus et Eurus. In hac ineuntis quoque veris conſtitutione paſſim conſueti animaduertebantur morbi, febres intermittentes et continuae, regulares et anomalae; nec deerant malignarum putridarumque febrium ſporadica exempla. Magna porro catarrhorum rheumatiſmorumque, partim cum febre, partim ſine eadem incedentium, erat frequentia. Inter haec accidit, vt PRAESES noſter die XXVIII. Martii peregre vocaretur ad aegrotum, duo milliaria hac ab vrbe abſentem. Forte iſto die magna erat ſerenitas, moderato calore temperata. Interea clinici labores tantum occupauerant PRAESIDEM noſtrum, vt quinta demum hora, ſudore ſatis perfuſus, ineunte veſpera hinc abiret. Vectus in pilento patulo, venationibus alias idoneo (*Iagdchaiſe*), vidit mox aurigam per errorem deflectere de via: vnde, vt fit, magis magisque in deuia eſt deductus, incerto itinere totam per noctem media in ſilua impeditiſſima errans. Ad haec noua interuenit calamitas. Circa horam nimirum octauam veſpertinam ſubito violentior incidit Eurus, cumulatamque

que niuem effudit. Corpus adeo diurno motu excalefactum nocturna grauiter tetigit refrigeratio. Neque incorrupta inde PRAESIDIS noſtri manſit valetudo: quippe eadem nocte protinus dextram maxillae inferioris partem grauiſſima adfecit odontalgia rheumatica, pedetentim intumeſcens, et ſex circiter dierum ſpatio parulide ſoluta.

§. VI.

EIVSDEM ARGVMENTI CONTINVATIO.

Vix autem quotuor diebus hinc elapſis longe grauius ſuperuenit malum, eoque moleſtius, quo minus exſpectabatur. Subito nimirum d. IX. Aprilis hora octaua matutina ingens frigus horrorque acceſſit, in ipſo lecto ſupra quinque perdurans horas, maximoque tremore totum concutiens corpus. Tenſiones et dolores ſpinae dorſi fere perpetui, reſpirandi difficultas magna, ſitis intenſiſſima, ſed ne quidem vel vnico infuſi theae hauſtulo mitiganda, quoniam ob ſummam nauſeam ſtatim iterum vomitu reiiciebatur. Pulſus admodum celer, ſed paruus ſimul, debilis et contractus. Lotium emiſſum nullum. Virium magna ſtatim proſtratio, ſed animus perpetuo praeſens. Senſim ſucceſſit aeſtus, integrarum quatuordecim horarum, maiorque, quam credi poſſit. Micuerunt intra hoc tempus arteriae nonagies et bis, ter, quaterque in minuta horae particula. Remiſit parum nauſea, et largiſſimus potus ſitim ſine vomitu nonnihil reſtinxit. Tandem etiam moderatior euaſit aeſtus, lotiumque hoc tempore emiſſum fuit coloris aurantii et fere rutilantis, mox craſſum euadens et hypoſtaſin lateritiam deponens.

Tum fucceffit effufiffimus fudor, totum corpus per tres fere horas inundans. Quo fuperato perfecta infecuta eft apyrexia, integris viginti tribus horis perfiftens. Omnis vrinae hoc tempore emiffae eadem, vt prioris, fuit indoles: fed vniuerfum corpus fingulosque eiusdem artus vagus aeque, ac acutus dolor, motui vel minimo officiens, occupauit. Nec ciborum vlla fupererat appetentia. Secundi tertiique paroxyfmi eadem prorfus erant phaenomena: fed pofterior priorem tribus horis citius antecedebat, haecque acceffionum periodus per vniuerfum febris decurfum exquifite eft feruata. Quarti paroxyfmi vehementia et aeftu et frigore omnes reliquos fuperauit, calorque fuit tantus, vt et centum feptemque arteriarum pulfationes minutae particulae interuallo effent animaduerfae. Lotium haud aliud, ac in prioribus paroxyfmis eft obferuatum.

§. VII.

SOLVTIO HVIVS FEBRIS COEPTA, CONTINVATA, ABSOLVTA.

Atqui hoc vehementiffimo impetu (§. VI.) fenfim deferuefcente fixus quidam fatisque vehemens dolor, tenfionis fenfum imprimens, minimumque motum haud ferens inhaefit finiftro humero, ea parte, qua bicipitis mufculi caro fubeft, nec hoc loco vel tantillum fudoris apparuit, cum reliquum tamen corpus fudore paene deflueret. Vagi in ceteris partibus dolores rheumatici remiffiores erant, et ad vtriusque pedis digitos vniuerfamque metatarfi regionem

gionem insigni cum prurigine erumpebant pustulae purpuraceae rubrae, tanta copia, vt ne particula, quae milii semine tegi potest, ab hoc exanthemate immunis superesset. Eadem ratione, eodem ordine, eademque periodo successerunt porro viginti duo paroxysmi: frigus tamen calorque febrilis ab vndecimo mitescere coepit, et prius non facile vltra sesquihoram, posterior autem non supra quinque durauit horas, nec hoc a tempore plures, quam ad summum octoginta sex, arteriarum obseruatae sunt pulsationes. Vrinae hypostasis et reliqua conditio semper superato quolibet paroxysmo eadem fuit. Fixus in humero dolor semper idem, et immutabilis, et sine sudore. A singulis paroxysmis noui pustularum purpuracearum prouentus, adeo mathematico fere ordine, vt successura series semper proximam priorem attingeret, per transuersum corpus ordinata, et raro vltra palmae latitudinem erumpens. Inter has vero eruptiones in diem magis magisque deferbuerunt vagi isti dolores, et rediit quoque modica quaedam ciborum appetentia. Qualibet quoque apyrexiae periodo, exacte duodecim horis ante nouam febris accessionem, facile et naturae conuenienter deiecta est aluus: cuius negotii tanta fuit constantia, vt et hinc ipse aegrotus accurate praesciret, quota hora sit reditura febris. Sub hac purpurae eruptione sudores febriles semper erant copiosissimi et maxime foetidi. Elapsis adeo istis, quos diximus, viginti sex paroxysmis mitissima erat febris, toto decursu vix tres horas consumens. Pustulae purpuraceae nunc totum peragrauerant corpus, excepto solo isto loco, quo humerum fixus iste rheumati-

ſmus vexabat. Solus etiam hic ſupererat dolor: reliquorum enim vagorum ne veſtigium quidem deprehendebatur. Accidit autem forte, vt inſtante viceſimo ſeptimo paroxyſmo inconueniens alioquin iſti anni tempori aeſtuoſa ſubito oriretur tempeſtas, copioſa materie electrica tractum aeris ſub reſpiratione difficiliorem reddens, ſanguinisque volumen augens, tandem hora quarta poſt meridiem inter aliquot fulmina et tonitrua iterum ſoluta, reddita aeri conſueta temperie. Inter haec ex improuiſo tribus horis citius, ac alioquin acceſſio futura eſſet, grauiſſima iterum febris inuaſit PRAESIDEM noſtrum: frigus quatuor horarum, totius corporis concuſſu comitatum, et velut lancinante dolore dictum ex rheumatiſmo laborantem bicipitem quaſi contorquens; inde aeſtuoſiſſimus calor, ad nonaginta duo arteriarum ictus iterum auctus. In rheumatica parte tum temporis inſignis apparebat rubor. Tum demum, poſt decem integras horas et poſt inexſtinguibilem fere ſitim, artus perfudit toto proruptus corpore ſudor, et primum etiam dolens ille et alioqui pumice aridior locus exſudatis guttis manauit. Emiſſi lotii copia ad dimidiam prorſus partem hypoſtaſi lateritia conſtabat. Tandem et deſiit poſt tres circiter horas ſudor, et rubor iſte humeri, deleto nunc paene omni dolore, in innumerabilem vim puſtularum purpuracearum reſolutus eſt, ſuccedente mox perfecta apyrexia. Proximus paroxyſmus iterum ſumme moderatam attulit febrem, ſed conſueta alui ſolutio non ſucceſſit. Nec poſt viceſimum nonum paroxyſmum ſponte ſuo officio perfuncta eſt aluus, ſed enemate fuit expedienda. Tandem inſtante triceſimo primo

primo paroxyſmo ſpontanea facta eſt alui ſolutio, ſimulque praeter opinionem duae ſatis magnae proruperunt varices haemorrhoidales. Ab hoc tempore minima euaſit febris et triceſimae quartae acceſſionis tempore nullum omnino eius ſuperfuit veſtigium. Recollectis dein ſenſim viribus rediit quoque valetudinis vigor, ipſo priſtino melior confirmatiorque.

§. VIII.

FEBRES RHEVMATICAE CONTINVAE.

Continuarum febrium rheumaticarum duo ſupra (§. III.) conſtituimus genera, *inflammatorium* nempe atque *catarrhale*. Vtrumque genus cum haud aliter, ac ipſe rheumatiſmus, ex duplici cauſſa materiali originem ſuam deducere poſſit, facile exinde patet, pro diuerſa hac vitioſa materie tam inflammatorias, quam catarrhales febres rheumaticas diſtingui oportere. Mox enim copioſus ſpiſſusque cruor, bilioſa colluuie inquinatus, mox mucidus, acris, ſalſus, et quodammodo vrinoſus humor ſeroſo-lymphaticus, mox denique dyſcraſia acida et tartarea, oriundis his morbis cauſſa euadit. Scorbuticam huiusmodi diatheſin medici vocant, in qua inquinamenta humorum ſalina abundant. Hoc ergo nomine febris rheumatica *inflammatoria* erit *ſimplex*, ſi ſolus copioſus, bilioſus, ſpiſſusque cruor diatheſin phlogiſticam ſanguini infert, immo paſſim muſculoſis partibus leuem quandam inflammationem inducit: e contrario autem *inflammatoria ſcorbutica* dicetur, ſi cum cauſſa phlogiſtica, colluuies ſalina acris ſalina, ſiue acida fuerit, ſiue alcalina, coniungitur.

Eadem ratione febrem *rheumaticam catarrhalem* commode diſtinguas in *ſimplicem* et *ſcorbuticam*: illam, ſi decubitus materiae ſeroſae mucidae ad muſculos parcius ſalinis impuris particulis abundauerit; hanc vero, ſi largior horum inquinamentorum copia metaſtaſi ſeroſae fuerit intermixta. Verum enim vero cum rarius eueniat, vt ſerum ad muſculos vitioſe decumbens, quam primum rheumaticos dolores excitat, illuuie ſcorbutica careat, recte hinc nonnulli *e*) agere ſibi viſi ſunt, ſi quoſcunque rheumatiſmos iisdemque ſuperuenientes febres cognomines duplici inflammatoriarum et ſcorbuticarum genere complecterentur.

§. IX.

PRIMO FEBRES RHEVMATICAE INFLAMMATORIAE.

Simplicium huius generis febrium rheumaticarum, cum inflammatione coniunctarum (§. VIII.), magna eſſe ſolet infrequentia: neque tamen penitus deſunt exempla, a medicis ſubinde obſeruata *f*). Vidit ſemel tantum hac febre laborantem ſacrorum antiſtitem quendam, vehementer

e) Hoc modo, verbi cauſſa, diſtinctionem inſtituit celeberrimus IOANNES OSTERDYK SCHACHT in *Inſtitutionibus medicinae practicae*, pag. 48. ſeq. edit. Traiectin. alter. Traiecti ad Rhen. 1767. emiſſae.

f) Confer, exempli gratia, aliquot huius generis hiſtorias in MICHAELIS SARCONE *libr. cit.* S. 95. ſeq. ANTONII STOERCK *Ann. medic. ſecund.* pag. 114. ſeq. et DONALD MONRO *Beſchreibung der Krankheiten in den brittiſchen Feldlazarethen*, *mit* BEGVE *de* PRESLE *Zuſätzen*, II. Band. pag. 361. ſeq.

ter plethoricum, viginti ſex annorum, facile iracundum, in eoque ſequentem febris decurſum optimus obſeruauit PRAESES. Primo pentecoſtes die feſto ter concionem ſacram habuerat hic vir in tribus diuerſis pagis, et inde probe concaleſcens ſudansque ſub frigidulam veſperam, moleſto ſpirante vento, redierat domum. Vix redux acres capitis dolores et per dorſi ſpinam, collum, artusque reptantes quaſi ſenſit cruciatus. Hora ſeptima veſpertina haud adeo magnum febrile acceſſit frigus, vix per horam durans, ſubſecuto ardente decem horarum aeſtu, tum demum remittente, non vero penitus euaneſcente. ſub caloris incremento increſcebant quoque dicti dolores, ſub decremento facti remiſſiores. Inter haec ſpiritus ducebatur anxius, paene feruidus, et anheloſus; facies rubicunda, oculi micantes, vires proſtratae, decubitus ſumme inquietus, et maxima ſitis grauitatem febris indicabant. Remittente paroxyſmo parciſſimus ſudor, lotiumque emiſſum crudum, aquoſum. Altero ſtatim die aduocatus PRAESES deprehendit aegrotum ſumme debilem, ad motus muſculares fere ineptum, febrem vero remiſſam. Altero paroxyſmo, circa quintam poſt meridiem horam accedente, frigoris parum, caloris plus fuit. Arteriarum pulſus celer, plenus, durus; dolores vagi acerbiores; ſudores iterum parci; lotium, vt prius. Sub remiſſione vena ſecta prodidit ſanguinem, cruſta tenaciſſima, flaua, craſſaque obductum, ſero a cruore ſerius difficiliusque ſeparato, pauco, ſpiſſo, et velut fibroſo *g*).

Idem

g) Hunc febrium rheumaticarum inflammatoriarum ſanguinem accurate examinauit iam antea laudatus MICHAEL SARCONE in *libr. cit.* §. 105. ſeq.

Idem febris manſit ſtatus, eadem phaenomenorum conditio, ad nonam vſque acceſſionem, niſi quod remiſſiones fierent breuiores, ſudores parciores, dolores rheumatici in ſcapula artubusque fixiores. His autem in locis, nono paroxyſmo ſuperato, rubores incidebant velut eryſipelatodes cum manifeſto tumore. Vrina tum temporis emiſſa rubicunda erat et leuiter ſpumeſcens. Tum per inſecutas acceſſiones pedetentim deferbuit febris, facta adeo metaſtaſi rheumatica, et remanente adhuc per aliquot hebdomades ſolo dolore rheumatico: qui etiam dein, abſoluta in dies magis magisque vrinae coctione, penitus ab aegroto diſceſſit, euaneſcente laeſarum partium tumore atque rubore. Alui ſolutio ſemper alternis contigit diebus.

§. X.

IDEM ARGVMENTVM.

Nolite vero putare, lectores, ſemper hac ratione feliciter ſolui febres has ſimplices inflammatorias. Quippe exſtant exempla, quae luculenter docent, materiam hanc phlogiſticam rheumaticamque partim eſſe reiectam ad articulos diuturnamque procreaſſe arthritidem; partim collectam in atheromata et meliceridas; partim funeſtiori decubitu ad interiores abiiſſe receſſus, ibidemque incendia et alia grauiora excitaſſe mala. Hinc, verbi cauſſa, ſeceſſio ad cerebrum, phrenitidem et maniam; ad pulmones et pleuram, peripneumoniam, pleuritidem, tuſſes et aſthmata conuulſiui generis, immo interdum catarrhum ſuffocatiuum; ad ventriculum, inteſtina, hepar, renes, et cetera,

ra, itidem harum partium incendia, et haud raro gangraenas ſphaceloſque, morte terminatos, effeciſſe eſt animaduerſa *h*). Siue ſymptomata ſpectes, ſiue totum decurſum, parum ab hac ſimplici inflammatoria febre differt *febris inflammatoria ſcorbutica.* Quoniam autem in hoc febrium genere colluuies acris ſalina phlogiſtico ſanguini ſimul eſt intermixta (§.VIII.), quae, vi cordis et arteriarum ad cutem delata, maiori ſuo, quo pollet, irritamento cutanea vaſcula cum efficacius ſtimulat, tum promtius faciliusque iisdem impingitur, fit exinde plerumque, vt cum reliquis dictis febris inflammatoriae ſymptomatibus partim largiores et profuſiores, ac in priori ſimplici genere deprehenduntur, ſudores ſe coniungant, partim demum exanthemata purpuracea accedant, ipſam febrem comitemque rheumatiſmum non raro diſſolutura.

§. XI.

TVM FEBRES RHEVMATICAE CATARRHALES.

Mitiores prioribus (§. IX.X.) eſſe ſolent, quae catarrhalium cognomen habent, febres rheumaticae (§. VIII.). Inprimis *ſimplices*, a retenta et coacta materie perſpirabili, parcius ſalinis particulis remixta, oriundae, parum a febrium catarrhalium conſuetarum natura diſtant. Primo enim frigore febrili circa veſperam incipiunt, cui calor, ſitis, anxia reſpiratio, cum pulſu celeri et frequenti, ſuccedit; ſomnus inquietus aut nullus; matutinis horis, inter ſudores

 ſatis

h) Confer *auctores* ad not. *f*) citat,

ſatis largos, fit remiſſio. Vrina plerumque mox a primis paroxyſmis craſſa, iumentoſa, lateritia. Dolores rheumatici intercurrentes et vagi, ſatis quidem moleſti, prioribus tamen iſtis tolerabiliores. Succeſſione paroxyſmorum euaneſcunt rigores febriles, increſcunt vero calores. Catarrhi hoc in genere rariores deprehenduntur, ſi tuſſim exceperis ſiccam perpetuaque aſperae arteriae titillatione coniunctam, quae materiae rheumaticae ad tunicam bronchialem decumbenti debetur, et hinc etiam ſaepe numero tuſſis rheumaticae nomine inſignitur. Paucis ſaepius paroxyſmis, interdum vero etiam quatuordecim, ſuperatis ſoluunt has febres coniunctosque dolores variae excretiones criticae, ſudores inprimis, diureſes criticae, et haud infrequenter diarrhoeae ſeroſae; immo nonnunquam tumores parotidum et tonſillarum; rarius exanthemata purpuracea. Quippe haec ſolemniora eſſe ſolent in ſolutionibus febrium huius generis *ſcorbuticarum*, a copioſiori molecularum acrium ſalinarum apparatu oriundarum (§. VIII): quae a ſimplicibus huius commatis febribus ſola maiori dolorum rheumaticorum acerbitate, grauiori febrili impetu, et purpuraceo inprimis exanthemate differre obſeruantur. Accidit etiam interdum, vt impuritas humorum Scabioſa, ſiue retenta, ſiue intempeſtiue retroacta, hanc rheumaticam excitet febrem. Quo nomine dein etiam expulſa per actiones criticas ſcabies eandem febrem diſſoluit *i*). Eandem etiam aeſtimationem eſſe oportet febris rheumaticae venereae

i) Videſis Cel. ERNESTI ANTONII NICOLAI *Pathologie*, I. Band. pag. 444.

venereae: quippe quae haud alia ratione, quam ſola miaſmatis venerei perfecta expulſione, tolli poteſt *k*).

§. XII.

FEBRES ATYPICAE RHEVMATICAE.

Maxima vero pars rheumaticarum febrium, praeſertim praeſenti tempore paſſim graſſantium, vario et plerumque inconſtanti typo incedunt, et mox *ex acuta*, mox *ex acuta et intermittente periodo* ſunt compoſitae (§. III). Pro diuerſitate porro materiae morboſae, ſupra iam expoſitae, varioque, quo vitium ipſa contraxit, gradu mox benigniores, ſalutaremque euentum promittentes, obſeruantur, mox vero malignioris ſunt indolis et interiora ſimul viſcera gangraenoſa et ſphaceloſa corruptione adficiunt, mortem pediſſequam habitura. Ceterum omnes cum vagis, tum fixis doloribus, vniuerſum quidem corpus, prae reliquis tamen pectus occupantibus, ſunt ſtipatae, et ad haec tot tamque variis ſymptomatibus ſunt coniunctae, vt generali quadam deſcriptione comprehendi nequeant *l*). Harum plurimae demum larga exanthematum miliaceorum, petechialium, aliorumque, immo interdum aphtharum et vlcuſculorum, eruptione ſolutionem ſalutarem polliceri videntur: haud raro vero triſti funeſtoque terminantur fine. Inſignis harum febrium numerus haud

k) Conf. Celeber. E. G. BALDINGER *von den Krankheiten einer Armee*, p. 178.

l) Plura omnino variique ſchematis exempla exhibent quoque iſti *ſcriptores*, qnos not. *f*) honoris gratia excitauimus.

inepte amplae febrium putridarum, cum rheumatiſmo inflammatorio coniunctarum, claſſi inſeri poteſt; quoniam et ipſae hae genuinis putridi morbi notis non deſtituuntur *m*).

§. XIII.

SOLVTIONVM ANACEPHALAEOSIS.

Haec igitur omnia, quae nunc hactenus ſunt diſputata (§. IV - XII.), ſi breuiſſime colligamus atque inter ſe conferamus, facile apparet, non vnam eandemque ſolutionum criticarum, quae tot tamque variis febribus rheumaticis ſuperueniunt, eſſe ſalubritatem, nec adeo eundem felicem euentum. Quippe *intermittens* harum febrium *genus* plerumque ſalutari exitu finiunt largi ſudores, copioſa vrinae bene coctae, multaque lateritia hypoſtaſi conſpicuae, excretio, itemque materiae rheumaticae per numeroſiſſima exanthemata purpuracea rubra ſcorbutica expulſio (§. VI. VII. VIII.); minus bene vero, licet non ſemper funeſto fine, iudicantur per metaſtaſin impurae materiae ad glandulas ſaliuales, (vnde plerumque duri et rebelles parotidum, aliarumque huius generis glandularum, tumores oriuntur); quod etiam de decubitu rheumatico ad articulationes valet, plerumque dein in veros fixosque dolores arthriticos abeunte. Ex *continuarum febrium rheumaticarum* claſſe *inflammatorias ſimplices* ſalutariter plerumque ſoluunt

m) Merito de genuinis putridi morbi notis conſulendus eſt *illuſtris* PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMERVS in *Diſſert. de Conſtitutione epidemica ann.* 1771. *et* 1772. *obſeruata*, Sect. prior. §. III. ſeq. Halae, 1772, emiſſa.

ſoluunt metaſtaſes ſuperficiariae et eryſipelatodes cum vrina larga coƈta (§. IX.); minus ſalubris vero erit aeſtimanda criſis, ſi rheumatica materies ad articulos reiicitur, aut meliceridas, vel atheromata procreat; peſſima omnium mortisque potiſſimum praenuncia, quando, decubitu acris phlogiſticae materiae ad interiora viſcera faƈto, interna incendia, gangraenae, ſphacelique excitantur (§. IX.). Haud alia ſaepe numero *inflammatoriarum ſcorbuticarum* eſſe ſolet iudicatio: ſed accedunt ad haec haud raro largiſſimi ſudores critici et efflorescentiae purpuraceae, cum benignioris naturae, et purpurae ſcorbuticae ſimillimae, tum malignioris funeſtumque euentum minantis indolis, purpurae nimirium miliaceae et albicantes atque veſiculares (§. *eod.*). In *rheumaticarum* porro *catarrhalium febrium* claſſe *ſimplices* plerumque largis ſudoribus, lotio craſſo lateritioque, diarrhoeis nonnunquam ſeroſis, et haud raro quoque parotidum tonſillarumque tumoribus ſoluuntur: exanthemate enim purpuraceo rara fit iudicatio. Haec autem eo familiarior eſt *catharrhalibus ſcorbuticis* huius generis *febribus*; niſi forte alia quaedam impura materies, verbi cauſa, ſcabioſa, venerea, aut alia febri oriundae dederit anſam (§. XI.). *Atypicarum* denique *febrium rheumaticarum* quam variae, quamque ancipites ſint iudicationes, mox ſalutarem, mox vero funeſtum promittentes euentum, iam paullo ante (§. XII.) expoſuimus, adeoque nunc abſoluto, quem inſtitueramus, labore, *Hic teneat noſtras anchora iacta rates.*

OVIDIVS.

OPTIMO
FINCKIO SVO
S. P. D.
PRAESES.

Quam pessime ii agunt, qui in seueriori scientiarum bonarumque artium cultura maturare malunt, quam maturescere, et crudiora dein studia, nulli profecto vnquam profutura, in rem publicam proferunt. Quanto TV *rectius*, OPTIME FINCKI, *qui nil inepte molitus es, sed per plures annos et Berolini, et in nostra academia salutarem artem seuerissimo studio addidicisti. Proinde etiam lubentissime, consentiente ordine nostro medico, summam in* TE *collaturus sum dignitatem, quae a* TE *in posterum haud minus ornabitur, ac* TE *honorificentissime ornabit. Vale, nec amicam mei memoriam vnquam depone. Dab. in Regia Viadrina, Nonis Aprilis. A. R. S.*

CIↃIↃCCLXXII.

PRAENOBILISSIMO

ATQVE

DOCTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

M. C. BERNDT

M. S. OPP. ORD.

Quod diu multumque desideraui, tandem aliquando benigna mihi indulgent numina. Venit illa dies, qua, quanti TE *habeam, quantoque amore erga* TE *ducar, publice* TIBI *significandi, exoptatissima mihi contingit occasio. Venit illa dies, quâ, tot tantisque perfunctus laboribus, summos in medicina honores sortiris, et studiorum* TVORVM *fructus carpis. Gratias* TIBI *ago, quas possum, maximas, quod insignibus, quae hactenus mihi exhibuisti, amicitiae* TVAE *speciminibus, hoc quoque superaddere, et me eruditionis, laudis-*

que

que TVAE, *quam hodie reportaturus es, teſtem eligere volueris. Triſtis quidem ſemper huius diei mihi erit recordatio, quoniam ſuauiſſimo* TVO *conſortio me priuabit. Simul vero reputans, quod* TIBI, *quibus dignus es, conceſſerit honores, quodque* TIBI *occaſionem praebuerit, arte* T7A *de Republica optime merendi, non potero non, quin illam albo calculo notem. Abeas igitur, quo* TE *divina vocat prouidentia! Sis Reipublicae decori, ciuibus ſaluti et propinquis ſolatio. Summus rerum humanarum arbiter* TE *diu rebus humanis ſupereſſe iubeat, ſerusque in coelum redeas. Valeas, mi cariſſime, et amicitiae noſtrae memoriam nunquam ex animo deponas. Vale iterumque vale, meque in poſterum amicitia et amore* TVO *non prorſus indignum iudica!*

D. Francofurti ad Viadrum die VI. April.

CIϽIϽCCLXXII.

